95



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis trigesimâ mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LXVI.

M. PAULO-JACOBO MALOUIN,
Doctore Medico, Reginæ ordinario, Regiæ Scientiarum Academiæ, Societatisque Londinensis Socio, Librorum Censore, & in Regio Medicorum Nanceianorum Collegio, Honorario, Actûs Præside.

An Sagou *Phthisicis?*

I.



UANQUAM omnes una maneat Nox, hanc tamen omnibus non una inducit Ægrotatio. Suos habent morbos Optimates, Plebeii, Otiosi & Opifices; habent & suos, Temperamenta, Sexus & Ætates. Ita juvenilis ætas in muliebri præsertim sexu, *Phthisi* maximè obnoxia est. A Parentibus hâc labe contaminatis, quandoque Natis transmittitur; infausta hereditas! sæpè Matrem & Infantem simul trucidat, eidemque mandat tumulo. Quos officiosa Phthisicis addicit

5

ſedulitas, ſæpenumerò laceſſit contagioſa; Uxorem & Maritum eodem telo plerumque conficit. Sæpe morbo alio ægrotanti per venas ſerpit perfida. Corporis partes vel omnes abſumit; vel præcipuè inſidens Pulmonibus, ibi teterrimam infert vaſtitatem. Acuta eſt cum repente ferit ac celeriter necat; Diuturnave cum omnes corporis partes ſenſim delet ac depaſcit. Hieme ſævit & Æſtate, Vere & Autumno; maximè tamen quæ pulmones ſpeciatim afficit, Vere ut plurimùm exitialis eſt, circa æquinoctium: quæ corpus univerſum, Autumno exacerbatur, circa ſolſtitium.

Inter *Phthiſis* primordia, magis præſentit Medicus, quàm pronuntiat. Facies pallida: Malæ rubeſcentes: turbinatum caput; palatum nimis altè fornicatum: dentes quaſi pectinatim commiſſæ: gingivæ albæ: collum longum: convexior cervix: thorax planus & anguſtus: depreſſæ ſcapulæ: mollis & ſqualida cutis: velox & laborioſa reſpiratio: in motu vel minimo, magnus anhelitus: tetrum inter odorem abrupta vox, *Phthiſim* nativam prænuntiant.

Morbum hunc ſimplicem ne credas: gradus habet longè inter ſe diſſitos. Corporis extenuatio, nec tamen cutis rugoſa & mollis. Febris cum calore, ſerotinis præſertim horis ſenſim obrepit, moleſto cum titillationis ſenſu in thorace, atque ſiccâ cum tuſſiculâ, quæ nihil emolitur. Poſt modùm, tuſſis ſub auroram exacerbatur: ſtatim ſincera, ſubamaraque ſputa prodeunt: mox tenuia & ſalſa; excreanturque lapilli. In *Phthiſi* incipiente comes frequens dolor in latere, pulſus hinc tenſus & exilis; vix ſpiritum ducendi datur libertas: nonullos commovent moleſtæ ſternutationes: in quibuſdam moleſtant ſanguinis fluxiones, atque ſtomachi obtuſa vellicatio; jam oppreſſio fit pectoris ponderoſa ante & retro ſtatis temporibus pungens: ſæpe febris erratica cum Lienis dolore: accedunt urinæ furfuroſæ ac rubræ: ſitis guttur angit: menſtruæ in Mulieribus ſubſident purgationes; aliquando puſtulæ erumpunt, vel maculæ apparent, quæ terram, deinde furfurem latiſſimum colore referunt. Importuna tuſſis ægrotantem affligit: eliditur quoque in faucibus ſpiritus: & fervens difficili ſputo tumet Pulmo: ſæpius dulcia alba, ſpumantiaque fiunt ſputa; admotas ori polluunt dapes; &, eheu quanta tuſſis, quantus adeſt anhelitus, quantas movent vomitiones, aſſumpta alimenta! tunc mucoſa ac lubrica faciliùs ejiciuntur ſputa, ſanguinis ſtaminibus ſæpe intexta; ſequitur febris tabida; ſummus languor eſt, febreque major.

Ut plurimùm ſomni initio perturbantur Phthiſici, præcipites ab alto, fremebundi, quaſi deſilirent & immergerentur: alii exiliunt, ſimulque expergiſcuntur: hoc autem temporis puncto, pulſus mirum in modum velox ac tremulus eſt. Somni autem ſub exitu, capitis & colli ſudationes infeſtant, torrida verò pedum moleſtat ſiccitas. Quandoque inter ipſam tuſſim quieſcit pulſus, ſtatim verò inſcreſcit. Inſuperabile adeſt faſtidium: exardeſcit potionis deſiderium; vel avidè appetuntur, vires autem non reficiunt cibi, imò corporis veluti infractionem, febrilemque calorem augent. Jam venter quaſi inanis, depreſſus, atque ſurſum ad thoracem convulſus; tunc corpus prurigine afficitur, lurida eſt facies, ſcapulæ ſunt alatæ, ſæpiùs erigitur ſupra dorſum, obvias hiando ut captet auras: per omnes inſpirationes narium pinnæ dilatantur: plurimus in pectore ſtrepitus, jam reſpirationis modum ſequuntur pulsûs ῥύθμοι. Tandem ubi in unum latus recumbit, urget acriùs jacentem inhærens dolor, acerbiorque fit tuſſis quam ſi in alterum. Fœdior per noctem deſperatio: at rapidum nuncians ſolem aurora compeſcit mentem animumque reddit. Intereà totius corporis habitus uno tenore contabeſcit, dum concavantur tempora, rigidæ invertuntur auriculæ, umbroſo rotantur in antro oculi, nares fiunt acutæ, conſuuntur buccæ, protuberant Malæ, depreſſa ſunt labia ac dentibus affixa: os patulum eſt, parviſque ulceribus aſperatum; fauces exardeſcunt, dolentque, qui dolor ad aurem, ferè ſemper ſiniſtrum, (ſi benè fida noſtra obſervatio,) & ad partem maxillæ ſuperioris lævam

pertendit; ubi vero abest faucium dolor, tunc acuta & molestissima in utrâque aure sæpe tensio est. Sanguifera vasa calidiora quàm circumpositas carnes deprehendit Medicus perspicax. Incurvantur ungues pallidi. Quid quòd pediculorum sæpe molesta est copia; fitque totum strigosum corpus. Vides? quæ calamitas. !

Jam superficie lævi inæqualiter rotunda sputa, cœnosa, cinerea, purulenta, luthea, viridia, subcærulea, ferruginea, subnigrave prodeunt. Si prunis ea superfundas, nares fœtore gravi infestari senties : immistus violarum syrupus virescit : si verò illa in aquam injeceris, huic quasi immisceri, statimque fundum vasis petere videbis : si conquassentur in aquâ, hæc lactescit; desperatam tunc esse rem intelligito. Jam capilli defluunt : plenus effervescit in gutture pulmo, mortisque crepat omina. Nulla intervenit quies, omnia in pejus ruunt; mira tamen est cogitandi & loquendi facilitas, atque flagrans salutis desiderium ac spes. Nequaquam; si sputa prodire desinant; si dentes exardescant admodùm : si uvula fervens ulceretur; cum sudoribus nocturnis, atque fœdo alvi profluvio; præcipuè si pedes, si manus intumescant, placida brevi obrepit mors, quæ cita & certa, etiam ab initio morbi, si huic accedant *Variolæ*.

Nec victimam priùs mactat crudelis, quàm nutritium succum totum suxerit, omnesque humores infecerit *Phthisis*. Hujusce luis curatio tentanda-ne est sanguinis missione? non-nisi initio & in morbis quos aliquando excipit Tabes, usurpanda; tunc extractus sanguis valdè calidus, rutilus, ac parum cohærens est. Medicamentis-ne? parcè & cautè admodùm. Monstrum demulcere, quàm aperto marte adoriri tutius est. Sit medicamentum in Alimento, quod acida obtundendo, muriatica leniendo, chylum sanguini & humoribus congruentem efficiat, liquorumque dissolutioni obsistat. Sic labantem nutritionem restitues, humorum corruptionem præcavebis, uno verbo, Phthisicis proderis.

I I.

FELIX qui potuit genuinas morborum reperisse causas, atque perspicax in re tam arduâ, obscurâ tantùm cernit acutè! factus observationibus dives, ad illorum curationem securè transit. Abstrusa sanè res, ipsummet ægrotationum attigisse fontem. Medicorum longè doctissimus *Hippocrates*, veram morborum omnium, quorum rectè observarat *symptomata*, causam non ipse semper agnovit; hinc ad abditam supremi numinis virtutem confugere coactus, τὸ θεῖον in pluribus morbis arguebat. Ut a mechanicâ pluribus legibus ac diversimodè ordinatâ pendet sanitas; sic a pluribus, diversisque causis procreatur Morbus. E multiplici itidem fonte exurgit *Phthisis*: ab aëre ipso, Vitæ aliàs incentivo, si marinus est, paludtris, aut carbonum præcipuè fossilium fumo oppletus. Vel a naturali Pulmonum infirmitate Tabes invehitur, cum ab ipso ortu minùs cohærentes inter se particulæ quibus constant fibræ, laxiores ab his effingunt canales, molliores conformant pulmones. Sanguine *impetiginoso*, vel nutritiæ lymphæ vitio pulmones sensim contabescunt, ubi illa nimis glutinosa & salsa, minùs fluida, magis terrestris, in tenerâ pulmonum compage concrescit, ipsiusque moles aggeritur; hinc sequuntur obstructiones, calor augetur, lapillorumque fit concretio. Vel ab impetu Cruoris in suis principiis à seipso dissidentis, ubi inordinatus fit, & internus, & orbiculatus illius motus; aut ubi rarescens, lentescensve moratur atque residet in arteriarum præsertim capillarium extremis, maximè ad fines, ubi in venas desinunt arteriæ. Nam a lato in augustum per pulmones fluit sanguis, cum hoc in viscere, ipsis arteriis venæ augustiores sint & pauciores; inde inoculationis punctum difficiliùs in pulmonibus quàm cæteris corporis in partibus transcendit arteriosus cruor : truditur sanguis sanguine, sicque augetur obex; distentâ etenim posteriore canalis parte, angustatur anterior. Turgida sanguine vasa comprimunt vicina; compressionis punctum sanguini per latus fluenti ponit obicem;

ſic concipitur tumor: ſic exiſtunt tubercula, quæ quidem ſuppuratura ſunt, cum diſſolvuntur morati humores, corrumpunturque ſimul cum ſuis canalibus; & tunc puris expuitio fit. Integræ verò partes quibus diſcriminantur tubercula, ſi unà inficiuntur ac putreſcunt, incolumi exteriori pulmonis membranâ, Vomicâ fit; & intereà conglutinatur ut plurimùm cum *Pleurâ* pulmonum pars altera. Vel non ſuppuratura tubercula, ſed ſenſim increſcentia ſpiritûs vias præcludunt, tandemque ægrotantem perimunt. Sæpe etiam Hepar ſimul obſtruitur, unde Bilis ſecretio minuitur, hinc ſputorum ſapor & aliquando color, hinc tinguntur intenſiùs urinæ. Quod ſi in pulmones pituitoſa & muriatica defluat colluvies, hujus ſalſedo illos irritat, ſcabra fiunt ipſorum involucra & roduntur; hinc διάβρωσις: ſequitur febricula: ſuccedunt parva ulcera: univerſum liqueſcit corpus. Humida hæc illuvies ſi per Medullam-*oblongatam*, ſpinalemque defluit, ſcapularum inde & lumborum fit dolor; interioreſque Capitis partes vacuæ videntur ipſi eſſe: depravantur ſimul ſucci nervorum, hi non nutriuntur; ſequitur Tabes *dorſalis*, quæ ut plurimùm accidit nimiâ venere utentibus, vel *gonorrhœâ*, albove fluore laborantibus, ſic quidem nutritia evaneſcit lympha; hinc corporis intabeſcit habitus. Si ſupra coxendicem illa tantum effunditur, poſt diuturnum dolorem crus tabeſcit, atque nervorum fit reſolutio. *Renalis* autem producitur Tabes cum ſpinam circa, ren intumuerit, ſuppuratuſque fuerit; unde febris fit Phthiſica. In quibuſdam per fœda ulcera altor ſubtrahitur ſuccus, tabo polluitur ſanguis; hinc putrida fit febris. Ubi per Inediam, per Lactatum, per Diabetem, vel per Diarrhœas maxima fit ſuccorum alibilium conſumptio. Ubi per ſanguinis fluxiones inanita vaſa ſanguifera, corporis liquores avidè ſorbent, & alibiles deprædantur ſuccos, tunc corporis ambitum alluere deſinunt, dum inanitate collapſa feriantur ſecernentium tubulorum ora; unde parca vel nulla lymphæ ſecretio, atque ex hâc nulla ſucci nutritii ſeparatio; hinc propriæ ſubſtantiæ conſumptio ſenſim ſuccedit. Vel in ſtrumoſum *Meſenterium* chylo præcluditur aditus; hinc ſanguis & humores nutrimento ſuo fraudantur; hinc effœti fiunt, ſtatimque incaleſcunt & acrimoniam *alkalinam* contrahunt. Vel intra corporis liquores admiſſa alimenta ſimul corrumpuntur; hinc ſæpe illiqueſcit corpus. Quin imò *Pthtiſim* ſæpe creat nimia ſanguinis copia. Quæris quid poſſit ad tabem πληθώρα? audi: ipſâ corrumpitur omnis ſecretionum ordo, dum ſanguis pleno nimis flumine ruens, vixque ſuis exceptus vaſis, horum diſtendit comprimitque latera; ſic lymphaticorum tubulorum obliquè enaſcentium aditus humoribus confertim affluentibus, intercluditur; hinc concidit *nutritionis* opus, tabeſcitque corpus. Suis & ipſe Obeſus viribus opprimitur, cum ad ſummam corporis habitudinem pervenit, majore factâ in ipſo humorum collectione quàm diſſipatione; hinc varii & diverſi liquores ſimul congeſti pugnant inter ſe, ac diſſolvuntur. Pari ferè ratione Juvenes rapit ſæpe maturior vis, cum ſummum incrementi apicem adepti, ſuccos parciùs inſumunt: hinc minùs renovantur humores, hinc ſimul incaleſcunt; hocque eò magis, quòd juvenili in ætate humores ſunt maximè oleoſi; contra in Senectute aquoſi & viſcidi, *gelatinoſi* magis ſunt. Multò faciliùs autem *alkalinam* acrimoniam ſuſcipiunt oleoſa, quàm & *gelatinoſa*, & aquoſa viſcida; hinc faciliùs in Juventute, quam in Pueritiâ aut in ſenio, ſanguinis motus internus, in putredinis motum degenerat. Præter hæc, ubi anteceſſerunt malè ſanatæ *Pleuritides*, *Peripneumoniæ*, *Variolæ*, aut *Morbilli*, ſæpe accedit Phthiſis; quoniam his incenſus ſanguis *urinoſus* fit & volatilis, atque aliquâ ſui parte in pus convertitur, partes quibus inſidet adurit, & vicinas ſerpendo depaſcit; ſic corpus clade horribili ſenſim abſumptum extabeſcit. Quid plura? quæ ſolitas egeſtiones ſupprimunt; quæ fluxiones commovent; quæ corporis ſuccos diſpergunt, abſumunt, corrumpunt-ve; uno verbo, omnium morborum cauſæ *Phthiſim* inducere valent. Hæc autem aliquando cauſam habent ab acidis, quæ ex alimentis aceſcentibus, vel ex ægrotantis humorum intem-

perantiâ oriuntur. Scilicet acidorum improbitate ſanguis & lympha concreſcunt, ſequunturque obſtructiones, quibus accerſita febris diſſolutiones alkalinas parit. Sæpiùs à muriaticis *Phthiſis* cauſæ ſunt repetendæ, cum nativus in Animalibus *ammoniacalis* ſal immodicè augetur, vel cum lymphæ ac ſanguinis parte oleosâ non ſatis aptè commiſcetur; in aquosâ verò diſſolutus, ſimul cum ipsâ uno agmine defluit; hinc variæ fiunt diluvies, & ab indole nutritia deſciſcit lympha; hinc ſæpe atrophia ſcorbutica *. Hâc ratione divelluntur partes quibus conflatur ſanguis; tunc quaſi evolutæ, *urinoſæ* fiunt: atque corrumpuntur. Sic indicantur quæ ſint nocitura, quæ profutura ſint, quibuſque auxiliis vincere vim morbi Natura poſſit. Nil moreris; veneni cauſas, & vitia, & modos noſcis, Remedium accipe.

III.

PHTHISICAM labem ſæpius quàm Galli, experiuntur Britanni; diligentiùs inde remedia quæ ipſos à *Phthiſi* incolumes præſtarent, inveſtigarunt. Jam abhinc ſeculo per Orientis oras navigantes præſtantiſſimum in Tabe remedium nacti ſunt. Hodie autem *Londini* per vicos & plateas vulgò venditur: *Pariſiis* verò omnibus pene ignotum erat anno 1729, quo hæc Theſis primò èdita fuit. Ex arboris trunco depromitur. Arbor hæc ** *Todda panna* eſt, Palmæ ſpecies. In Indiis orientalibus, in regione *Malabaricâ* præſertim, naſcitur. Caudice ſurgit quadraginta & ultra pedes, alto. Ut plurimùm ſeſquipedalis eſt hujus diametralis craſſities. E terrâ primò erumpens ſubdio ſine caudice conus eſt. Prima coni tegmina foliacea ſunt. Ab horum ſinu ſubinde emergunt folia pinnata, ſpiculiſque armata. Inter hæc, ecce novus fructifer conus exurgere incipit, ubi quintum ſextumve annum arbor attigit. Fructifer hic conus reflexos ſenſim exhibet ramuſculos, fructibus ornatos. Fructus oblongus, primùm vireſcens piſi magnitudinem, dein creſcens, prunum craſſum adæquat, mox flaveſcit, & omnino maturus ex rubro infuſcatur. Ramuſculi fructiferi cum foliis ac foliaceis coni tegminibus decidui, extuberantia ſui ſtigmata relinquunt; ſic quotannis prominentem exhibent annulum; ſicque aſſurgit caudex. Centum & ultra extuberantibus annulis diſtinctis circumdatur. Cortice ſquamoſo, extra cinereo, intra purpureo veſtitur. Lignum albicans, molle, ac ſpongioſum. Hoc in fruſta cædunt Indigenæ, & in aquam macerandum immittunt; poſteà ſtrenuè contundunt; deinde colant; tandem ſubſidere permittunt; claramque aquam ſupernam effundunt. In ipſorum nutrimentum cedunt remanentes *Faculæ*: ex his placentas effingunt, atque in panem excoquunt. Illas-ve exſiccant fæces & in grana committunt; hoc apud indignas *Sagou*, apud Britannos, *Sagu* nominatur. Ex *Goâ* atque ex *Bengalâ* in Europam deportatur. Κρίμνα ſpecies fuſco-albicans. Aquoſo ſapore ſuave eſt. Evidentem nullum odorem ſpirat. In aquâ calidâ omnino diſſolvitur: in frigidâ vix: in oleis nullo modo: in aquâ-vitæ indureſcit. Ex ipſo per plures æſtivos dies aquâ mollito nullum ope diſtillationis chimicæ, ardentem ſpiritum extraxi; ex omnibus verò fermentatis farinis; ſpiritus-ardens elicitur. *Sagou* in aquâ calidâ loti cochlear unum ſemiunciâ grave, in aquæ perpetuo calidæ unciis ſexdecim, ſi per tres circiter horas quieſcat, in placentam molliſſimam & gummoſam concreſcit; deinde ſuperna transfunditur aqua, atque *Sagou* remanens & rubellum factum, cochleari accuratè diluitur, ſenſim refundendo calentem aquam in quâ maceratum fuit. Tunc colatur nullis vel paucis remanentibus quiſquilius. Poſteà igni imponitur, & ubi ebullire incipit, adduntur partitè lactis vaccini unciæ ſexdecim, atque per ſolidam ſeſquihoram æſtu æquali ſerveſactumexcoquitur in pultem facilè ſorbilem & ſuaviſſimam, cum aliquâ mellis vel ſacchari temperatione præcipuè ſi aquâ ſimplici ſine lacte coquitur. Facilis digeſtionis cibus eſt, maximè

* Vide Bonnetus, Eugalenus, & Morton, de Phthiſi.

** Vid. Horti indici Malabarici, Partem tertiam. p. 6. Tab. 13, & ſequent. Vid. Romphius, & Camelly

refocillans, & exquiſitiſſimis menſis ob ſaporem non indignus. Medicamentum autem inter præſtantiſſima non ſecundum ad humorum diſſolutionem præcavendam, acria quæcumque ſive acida, ſive muriatica, *alkalina*-ve temperando.

IV.

NIHIL intentarum reliquit gula Hominis fame conciti, vel induſtrio luxu abrepti. Hic prope ex univerſis quæ terra profert, alimento ſibi præparat, Animantium cupidiſſimus. Ex Plantis, ex Animalibus, quin & ex Foſſilibus condiuntur dapes. Inter illa quæ humano generi alendo idonea ſunt, primas facilè tenent Fruges; & quò longius ab his cætera recedunt, eò longiùs de legitimo nutriminis ſcopo deflectunt. Hinc foſſilia ad id minùs appoſita: animalia magis. Inter hæc, deteriora carnivora: meliora quæ plantis paſcuntur; atque ex his eligendæ partes quæ ex plantis minùs immutatis conſtant, ut Lac. Communis Animantium cibus, fruges: ex his ſimpliciſſimæ, ſaluberrimæ, ac ſuaviſſimæ depromuntur dapes. Alimentum ſimul & Medicamentum exhibent; ut alimenta, fruges omnibus naturis ſunt utiles; ut medicamenta, intemperatis cujuſmodi ſint, ſua cuique in frugibus ſtat oppoſita & ſalutaris materia. Medium tenent plantæ, foſſilia inter & animalia. Nativam principiorum in foſſilibus. Simplicitatem plurimùm imitantur fruges, ſed fixæ minùs, & tubulis jam inſtructæ, animantium quaſi rudimenta ſunt; at verò ſuis in principiis minùs diſſidentes, corruptioni non æquè obnoxiæ ſunt atque animalia. Horum principia, motu & calore nativo plurimùm ad *alkalinam* acrimoniam tendunt; huic ſumma carnium ad corruptelam proclivitas; hinc alimenta ex his deprompta, inteſtinorum lævitatem, dejectiones fœtidiſſimas ſæpius pariunt; ulcerum ſordem augent; febrium æſtus concitant, unde colliqueſcunt humores. Piſces porrigis? dulcis revera cibus, & plerumque facilè ſuperabilis; ſed acriùs adhuc & citiùs quàm cætera animalia in putredinem labuntur. Alimenta autem ex plantarum familiâ deprompta, difficiliùs in corpore animali corrumpuntur: immutantur verò in humores omnibus ſecretionibus obeundis aptos, atque animali œconomiæ ſufficientes. Inter illa cæteris multùm præſtant Farinæ: omnium ſeculorum uſu, comprobatus eſt cibus ex ipſis depromptus. Alimenti dotibus quas eximiè cæteras inter farinarum ſpecies poſſidet *Sagou*, Medicamenti vires addit: gummoſum, quamcunque humorum acrimoniam obtundit & lenit; ſicque nutriendo, ſimul corruptionem præcavet ſi ſat citò adhibeatur. An melius quis habet Phthiſicis ſuadere; ſecundâ, remedium adhibere quid moraris, alite?

V.

UBIQUE terrarum, omni Ævo, eximias farinarum virtutes arte perficere ſtuduit Homo, novitatis cupidus. Sic valde tritum in omnibus pene morbis apud Græcos ex χόνδρῳ & τράγῳ alimentum. Apud Romanos primò maximè uſitatum fuit Far; deinde Alica ex Zeâ factitia; poſtremò Far priori diverſum, & ex hoc adorea liba conficiebant. Hodie verò Itali ſua laudant, variè ſubacta farinaria; *Semolam* Genevenſes; *Grutum Armorici* ac *Delphici*; avenaceam *Atheram Neuſtriaci*, quæ *Habern-muos* Germanorum. Ubique variæ venditantur Polentæ: ubique laudantur Oryza & Hordeum glumis purgatum. At verò his omnibus palmam præripit *Sagou*; maximè reficiens cibus, benigno calore corpus fovet. Oryza verò ardenti ſæpius hæret ſtomacho, quem prægravat. Hordeacea ventriculum & inteſtina flatuum copiâ ſollicitant: detergent quidem, ſed quas ſublevant partes, ſimul deterunt. Stomacho & inteſtinis plurimùm contra prodeſt *Sagou*, ea blandè fovendo, humectando, ſimulque ab humorum ſaburrâ tuendo. Numquid *Chocolati* uſus commodiùs refocillat? obſtat craſſius oleum quo depſitur *Cacao*, diu ſuſtentat, ſed in vaſis diutius moratur, corporis liquores commovet, atque cardiacos morbos nonnunquam concitat. In corpore facilè ſuperabile *Sagou* celeriter nutrit, celeriter egeritur. Avenacea corporis aquoſos humores ad glandulas nimiùm alliciunt; hinc in *Phthiſi*, moleſta inteſtinorum augetur læ-

vitas; hinc saliva, liquor *gastricus* succusque *pancreaticus* vapidi fiunt. Vitæ nostræ principiis magis amicum *Sagou* ignem animalem, vitæ flammulam non extinguit: tabidum calorem obtundendo, nativi caloris vices obit. Procul esto in *Phthisi* frumentarius; non enim summovet miseros tumultus a salibus concitatos; contra intendit sanguinis motum, hujusque pars rubra nimia fit. *Sagou* verò chylum blandum cum sanguine non æstuantem præbet, atque lympham nutritiam & humectantem, copiosam conficit. Cerealia omnia quoquomodo parata, spirabilia bruta concitare solent. Amygdalina quidem oleo suo leniunt, corruptionem amovent, & calorem phthisicum refrænant, sed parum gummosa, parum nutriunt; crassa autem cum sint & prægravia, per corporis canales ægrè viam sibi moliuntur: tumescentia humorum principia comprimendo dissociant; hæc seorsim existunt, & gravant. Cerealia inter & Amygdalina medium tenet *Sagou*; gummosum acria lenit: æqualis cibus, leniter cum reficiendis humoribus miscetur: æstuantes corporis liquores deprimendo, malè cohærentes ipsorum partes conjungit & refocillat: febrium ardorem compescit, nativum calorem fovet; atque speciatim fluxiones sistit. Quod ex farinis præcipuè nutrit gummosum est. In nutritionis opere easdem tenet gummosum partes, respectu farinarum quas tenet *gelatinosum*, respectu carnium. Sæpe, proh Calamitas! in *Phthisi* confirmatâ, ubi tussim sedas, salsam colluviem leniendo, imminuto sale muriatico, corruptionem foves. Contra debellando corruptionem tussim aliquando exacerbas, dum *alkalinam* acrimoniam delendo, ad muriaticam revocas. Hoc in statu morbi, muriaticis ita concilianda dulcedo est, ut putredinem simul inhibeas: hoc opus, hic labor est. Hoc autem assequeris, si, quod adhibes remedium, corruptorum humorum effluxum per cutis meatus sensim promovet, succos lenientes & à putredine maximè abhorentes in illorum locum sufficiendo. Id aliquando muneris adimplet Lac: muriatica mitigat. atque recentem subministrat nutritiam lympham, dum veterana effluit. At sæpius in stomacho acescit aut putrescit lac; atque semper nocet lac ubi aliquo in viscere hæret obstructio. Omnibus autem virtutibus quibus pollet lac, iisdem præditum est *Sagou*. Non acescit autem, nec putrescit lactis modo; cumque in alimentum cedat subtile admodum ac tenue, per obstructa viscera obrepit facilè, iisque nutrimentum invehit. Opportunissimum alimentum, præstantissimum medicamentum. Optimum in *Phthisi* ut sit medicamentum in alimento; & alimentum in medicamento. Utrumque eximium præstabit *Sagou*,

Ergò Sagou *Phthisicis*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI,

M. Joannes-Baptista Alexander MAIGRET.

M. Franciscus THIERY DE BUSSY.

M. Josephus DE JUSSIEU, *Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*

M. Josephus PHILIP.

M. Hugo GAUTHIER.

M. Hyacinthus - Theodorus BARON, *antiquus Facultatis Decanus, necnon Castrorum Regis & Exercituum in Germaniâ & in Italiâ Proto-Medicus.*

M. Joannes D'ARCET.

M. Ludovicus - Gilbertus-Alexander BOYROT DE JONCHERES.

M. Ludovicus - Maria POUSSE, *Eques & Censor Regius, Chirurgiæ Gallico idiomate Professor designatus.*

Respondebat Parisiis JOSEPHUS-JACOBUS GARDANE, Massiliensis Doctor Medicus Monspeliensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1766. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1766.